



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Panarion, Hoc Est, Arca Medica Variis Diuinæ Scriptvræ
priscorumq[ue] Patrvm Antidotis aduersus Animi morbos
instructa**

Busaeus, Johannes

Moguntiae, 1608

C.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54834)



C CHOREÆ

Remedia contra Choreas.

P RIMUM Remedium. Considera choreas prophanas in sacris litteris reprehēdi. In Exodo enim de Moyse ita scribitur. Exo. 32. 19.

Ve vidit Moyses choros, iratus est valde, proiecit tabulas, & confregit eas. I S A I A S, de Hierosolymitanis feminis sic vaticinatur. Isa. 3. 16.

Pro eo, quod elenatae sunt filiae Sion, & ambulauerant collo extento, & nutibus oculorum ibant & plaudabant, & pedibus suis composito gradu incedebant, decaluabit Dominus verticem filiarum Sion. Et E Z E C H I E L. Ez. 25. 6.

Pro eo quod plausisti manu, & percuisti pede, & gauisus es ex toto affectu, idcirco extendam manum meam super te, & interficiam te. S A R A quoque apud Tobiam. Tob. 3. 17.

Nunquam cum ludentibus misui me, neque cum his, qui in leuitate ambulat, participem me praeui. & I E R E M I A S. Jer. 15. 17.

non sedi in concilio ludentium. Atque ante illos B. I O B, cum dixisset. Iob. 21. 11.

Egrediuntur quasi greges parvuli eorum, & infantes eorum exultant iustibus, subiecit, Tenent tympanum & cytharam, & gaudent ad sonitum organi. Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt. Eccli. 9. 4.

Quare monet Ecclesiasticus. *Cum saltatrice, in-*

quiens, ne assiduus sis, nec audias illam, ne forte pereas in efficaci illius. Bas. hom. 14.

II. R E M E D. Considera quam durè S. Patres in eas inuecti sint. Nam

B A S I L I U S agens contra ebriosos. *Cantus, inquit, profanos exerces, oblitus psal-*

morum & hymnorum quos didicisti. Moues pedes, & insanus saltas, choreas ducis im-

prudens, cum genua ad Dei & domini nostri Iesu Christi cultum flectere oportebat. Et Exo. 32. 6.

infra. Quando enim sedet populus manducare & bibere, tunc & surgebat ad ludendum:

lusus vero illorum idololatria erat. Tunc Leuita contra fratres sese armantes ex eis vi-

ginti tria millia ceciderunt, sic enim manus suas, inquit historia, consecrarunt. B. E-

P H R A E M in sermone quod ludicris abstinentum sit Christiano. *in rebus* Ephr. tom. 1.

ludicris, inquit, non esse tempus à Christianis consumendum, omnes nouimus, & ex

diuinis quidem scripturis hausimus. Et rursus. Quis demonstrare poterit conuenire

Christianis cytharisare, aut tripudiare, aut cymbala pulsare? Et multo post. ubi ci-

tharæ ac chori & plausus manuum, ibi virorum tenebra, & mulierum perditio, angelo-

rum tristitia, & diaboli festum. O improbum diaboli consiliū. Adhæc in libro

interrogationum & responsionum. Numquid ait, choreis, numquid cythararum Ibid. resp. 2.

lusu delectatus est Paulus, numquid diabolica cantica cecinit? Absit. Quis talia Chri-

stianos edocuit? non sane hæc eos docuit Petrus non Ioannes, nec quis alius diui-

2. Cor. 10. 7.
1. Ego. 32. & c.

no numine afflatus. Verum ista Draco antiquus docuit, magister omnis impuritatis. Qui docuit fornicari, qui docuit idola colere, docuit etiam ludere. Idcirco Apostolus idololatrias ludentes nominavit dicens. Neque idololatriæ efficiamini, sicut quidam ex ipsi, quemadmodum scriptum est. sed sit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere. GREG. Nazianzenus oratione in Christi natalem, agens de festo illo recte celebrando. Id autem, inquit, hac demum ratione consequemur, si nec

Amb. lib. 3.

domus limina fertis coronemus, nec choreas agitemus, nec vicos ornemus, &c. promptis ad vitium visis, peccatique ianuis, &c. nec comessationibus et ebrietatibus, quia malorum magistrorum mala doctrina est, vel potius malorum seminum mala seges.

AMBR. de virginibus. Debet bene conscia mentis esse latitia, non inconditis comessationibus, non nuptialibus excitata symphoniis. ibi enim inuisa verecundia, illecebros suspecta est, ubi comes deliciarum est extrema, saltatio. Ab hac virgines Dei procul se desidero. Nemo enim, ut dixit quidam secularium doctor, saltat sobrius, nisi qui insanit. Quod si iuxta sapientiam secularem saltationis aut temulentia auctor est, aut dementia, quid diuinarum scripturarum cautum putamus exemplis, cum Ioannes pronuncius Christi saltatricis optione iugulatus, exemplo sit, plus nocuisse saltationis illecebram, quam sacrilegi furoris amentiam. Et infra. Quid ibi verecundia potest esse, ubi saltatur, strepitur, concrepatur? Quid dicitis vos sancta femina, videtis quid doce-

Cluy. hom. 49.

re, quid etiam dedocere filias debeatis? saltet, sed adulter et filia. Quæ vero pudica, quæ casta est, religionem doceat filias suas, non saltationem. IO CHRYSOST. in Mathæum. Vbi inquit, saltus lasciuus, ibi diabolus certe adest. Non enim ad tripudia hæc nobis præbuit DEVS, sed ut modeste incedamus: non ut impudenter camelorum modo saliamus: nec enim solum femina, sed etiam cameli turpiter saliant, sed ut in angelorum choris consistamus. Quod si corpus deforme sit impudenter saliendo, quanto magis animam sedari credendum est. His tripudijs diabolus saltat. His à demonum ministris homines decipiuntur. AVGVSTINVS in sermon. de tempore. Isti infelices et miseri homines, qui balationes et saltationes ante ipsas basilicas sanctorum exercere nec metuumt, nec erubescunt, etsi Christiani ad Ecclesiam venerint, pagani de Ecclesia reuertuntur, quia ista consuetudo balandi de paganorum obseruatione remansit. Et in psalm. 32. Obserua diem sabbathi, non carnaliter, non iudaicis delicijs, qui otio abutuntur ad nequitiam. melius enim vitique tota foderent, quam tota die saltarent.

Aug. ser. 25.

III. REMED. Considera exempla eorum qui ob choreas pessime perierunt. NICEPHORVS in historia Ecclesiastica de filia Herodiadis saltatrice ita scribit. Brumali tempore ei fluuius trajciendus erat, qui cum glacie constrictus esset, pedes eum transibat. Glacie autem rupta, idque non sine Dei numine, demergitur illa capite tenus, molliusque se mouens saltat, non in terra, sed in undis, caput vero à reliquo corpore, non ferro, sed glaciei crustis resectum, in glacie ipsa saltationem lethalem exhibet, spectaculoque eo omnibus præbito, sceleris huiusmodi caput in memoriam ea quæ fecerat reuocat. THOMAS Cantipraten-

Conca.

Nic. lib. 1. ca. 20.

Mat. 14.

praten-

pratenfis D. Thomæ Aquinatis æqualis in libro Apum exempla qua- Tho. l. 2. cap. 57.
dam ſui ſeculi commemorat. I. PVELLA quædam in Mechlina Braban-
tia oppido, inquit, vt ab eis qui præſentes fuere cognui, ſacro die Dominico cum iu-
ueneribus diu choreas duxerat: fatigata ergo domum redijt, & dormitum pergens mox
à demone obſidetur. ea clamante ſurgit familia, ligant vinculis ſciantem. mane in
Hansuich ad oratorium glorioſe virginis extra oppidum deportatur. frequenter e-
nim ibidem MARIA virtutum operatrix miracula plurima demonſtrauit. Accur-
rant mox ſcholares pueri vnusque duodecim annorum audacior cæteris demonem adiu-
rauit, & crucis ſigno pollice in umbilico puella expreſſo ſugarvit. 2. Vidi ego adhuc puer
in choreis procaciſſimam ſaltatricem, quæ me præſente poſt choreas inſolenter cum a-
dultero luctabatur, & cum ceſſaſſet, ſubitana morte percuffa miſerabiliter expirauit. Ib. c. 49.
3. In Gallia iuxta Laudunum, ſicut à præſbytero villa percepimus, quidam choreas du-
centes ſupra pontem, diſrupto ſubito ponte fortiſſimo in aquis validis omnes ſunt ſub-
merſi. 4. Marchia in Flandria atque Brabantia diſtrictu villa populofiſſima ſita eſt,
in qua dedicatio celebrata multos ad luſum traxerat. Inter quos, à Gulielmo bono &
litterato præſbytero, & in iſſdem partibus nato percepimus, quidam tibicen erat, qui
tripudiantes iuuenes & puellas geſticulationibus ſuis ad carmina turpia concitabat.
Hinc calo nubibus circa veſperam obſcurato omnes ad propria redierunt, ſolo tibicine
nondum luſibus ſaturato, & cum ſaltu, tibiaque ſonitu ad ſua paulatim remeante: qui
ſecuta coruſcatione & tonitru ſulmine percuffus eſt; videntibus duobus pueris paſtori-
bus, qui ad dumeta confugerant. Iſdem pueri mox viderunt, quod duo nigerrimi
canes ex iſſperato venerint, & inter ſe pendulum extincti brachium deportarint.
Corpus autem tibicinis ſepultum quidem eſt in atrio Eccleſiæ, mane tamen ſepulcrum
patens & vacuum inuentum eſt, creditumque eſt à demonibus, ſicut & brachium, ab-
ſportatum.

Est S. Ephrem
locis cit.

IV. REMED. Considera choreas, omnesque id genus vanas & le-
ues recreationes è diametro pugnare cum hominis Chriſtiani & pii
profeſſione. Nam primo quilibet Chriſtianus in baptiſmo abrenunciat
Sathanæ & omnibus pompis eius: at inter pompas Sathanæ paulo ante
S. Patres numerarunt choreas. 2. quia Chriſtus iis qui diſcipuli ſui eſſe vo-
lunt, tradidit omnino contraria. Si quis vult venire poſt me inquit, abneget
ſemetipſum, & tollat crucem ſuam. Contendite intrare per anguſtam portam. Bea-
ti qui lugent. Beati qui nunc ſletis, quia ridebitis. Væ vobis qui ridetis nunc, quia
lugeritis & flebitis. 3. idem docuere Apoſtoli, & PAVLVS, Omnis diſci-
pulus in præſenti quidem non videtur eſſe gaudiij, ſed mæroris. Quod ſi extra diſci-
plinam eſtis, cuius participes facti ſunt omnes, ergo adulteri, & non filij eſtis.
Et P E T R V S. Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt ſe-
quamini veſtigia eius. Et S. IOANNES. Nolite diligere mundum, neque ea quæ

Matth. 16. 24.

Luc. 13. 24.

Matth. 5.

Luc. 6. 25.

Heb. 12. 11.

1. Pet. 2. 21.

1. Ioan. 2. 15.

Iac. 4. 9.

in mundo sunt. Et IACOBVS. Miseri estote, & lugete, & plorate. risus vester in luctum conuertatur, & gaudium in moerorem. IMM O hi ipsi verbo & exemplo docuerunt maximè gaudendum & tripudiandum esse in aduersitatibus. Beati, inquit Christus, estis, cum maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, gaudete & exultate. Et B. LV CAS Apostoli ibant gaudentes à conspectu concilij quia digni habiti erant pro nomine Iesu contumeliam pati. Et PAVLV S. Rep'etus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione vestra. Ac iterum. Placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in angustiis pro Christo. Et PETRVS. Communicantes Christi passionibus gaudete. Et IACOBVS. Omne gaudium existimate fratres, cum in varias tentationes incideritis.

Matt. 5. 11.
A & 5. 41.

2 Cor. 7. 4.

1. Pet. 4. 13.
Iac. 1. 1.o. Presbyteri.
dist. 34. ex c. La.
od. c. 29.

Eccli. 3. 27.

V. REMED. Considera; etiam si Doctores quidam non improbant choreas moderatas in nuptiis honestis, aliisue priuatis amicorum conuentibus institutas, tamen securius esse in totum ab illis abstinere, non solum clericis & religiosis, (quibus lege Ecclesiastica vetitæ sunt) sed etiam secularibus Et ratio est, quia nunquam tam moderatæ esse posse videntur moraliter, vt omnes occasiones & pericula delinquendi absint. *Qui autem amat periculum, inquit Sapiens peribit in illo. Quotusquæq; enim tam cautus & circumspectus esse poterit, qui in tanta sicut est in nuptiis, conuiuii lautitie, in mulierum puellarumque, quæ choreis fere intersunt, confessu, vel conspectu, vel auditu, vel osculis, vel loquacitate, vel vanæ gloriæ aucupio, fastu quoque, inuidia, detractioe non crebro labatur & peccet?*

VIDE V. *Ebrietas. Immodestia. Luxuria. Otium. Voluptas carnis.*

COLLOQUIA OTIOSA ET VANA

*Remedia contra illa.*Greg. 1. 7. mor. c.
17.Hic. in c. 12.
Matt.
Bac. c. 12.

Chr. in psal. 118.

Nyfl. in c. r.

Matt. 12. 36.

I. REMEDIUM Considera quid proprie verbum otiosum & vanum appellatur. B. GREGOR. ait otiosum esse, *quod aut ratione iusta necessitatis, aut intentione pie utilitatis caret. HIERON. vero, quod sine veritate & loquentis dicitur & audientis. Sic BASIL. in Constitut. monasticis non otiosum sermonem vocat, qui est de virtute, vel ad audientium edificationem refertur. VANVM autem verbum eiusdem fere est significationis. IOA. CHRYS. Vanum, inquit, est, quod utilitatis est expertus. & GRE. NYSSENVS in Ecclesiasten. Vanum est, cuius nullus est vsus & scopus certus, licet magno studio proferatur.*

II. REM. Considera secundum S. Scripturæ, & S. Patrum dicta colloquia otiosa nō esse parui facienda. nā apud Mat. hæum Ch. istus dixit. *Amen dico vobis, quoniā omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddens rationem de eo in die iudicij. Ex verbis enim tuis iustificaberis, & ex verbis tuis condemn-*

demnaberis. Vnde S. BASILIUS in regulis breuioribus. Adeo magnum est
otiosi verbi periculum, vt licet gerere ipso de numero honorum sit, tamen nisi ad adifica-

tionem fidei dirigatur, à periculo liber non est qui illud locutus est, quippe qui ex eo, qd
ad adificationem illud non accommodauerit, contristasse noscatur Spiritum sanctum. Baf. q. 21.
Hoc enim aperte docuit Apostolus, cum dixit. Omnis sermo malus ex ore vestro non pro- Eph. 4. 29.
cedat, sed si quis bonus ad adificationem fidei, vt det gratiam audientibus. Et subiicit il-

lud. Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis. Quam autem perni-
ciosa res sit, contristasse Spiritum sanctum, de hoc vero, quid opus est vt dicatur? Et B.
GREGOR. lib. 7. mor. Dum ab otiosis verbis: e quaquam lingua compefcitur, ad Greg. 1. 7.
temeritatem quoq; stulta increpationis efferatur. Quibusdam enim sua rumia gradibus

desidiosa mens in fenestra lapsus impellitur: nam dum otiosa verba cauere negligimus, ad Amb. c. 25.
noxia peruenimus. Et ante eum S. AMBROSIVS libro primo de officiis. Non Bernard.
solum profusus, inquit, sed etiam omnes iocos declinandos arbitror. Et iterum. Licet
interdum ioca honesta, et suauia sint, tamen ab Ecclesia adhorrent regula: quoriam
qua in scripturis sanctis non reperimus, ea quemadmodum usurpare possumus? Deni-
que S. BERNARDVS in sermone de triplici custodia. Nemo, ait, parui aestimet
tempus, quod in verbis consumitur otiosis: Siquidem tempus acceptabile est, et dies sa-
lutis. Et infra. Donec transeat, inquit, tempus: quo diuinam repropitiare debueras
pietatem, properare ad Angelicam societatem, suspirare ad amissam hereditatem, exci-
tare remissam voluntatem, flere commissam iniquitatem.

III. R E M E D. Considera, nulla in re magis opus esse inuocatione
diuini auxilii, quam in gubernatione linguæ. Quis enim est, inquit Sapiens,
qui non deliquerit in lingua sua? Et Beatus vir, qui non lapsus est in verbo. Ac Iaco- Eccli. 9. 17. &
bus Apostolus. Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir. Quocirca Salo- Iac. 3. 2.
mon aiebat. Homini est animam preparare, et Domini gubernare linguam. Et rex Prouerb. 16. 1.
Dauid orabat. Pone Domine custodiam ori meo, et ostium circumstantia labiis meis. Psal. 140. 3.
atq; alibi dicebat. Dixi, custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea. Qui Psal. 38. 2.
versus cum ex in-tio Psalmi 38. aliquando Pamboni Abbati prælectus Tripart. 1. 8. c. 1.
fuisse. Satis est, inquit, reliqua audiam, cum illud opere implevero. Multo vero
post tempore rogatus, cur ad magistrum non rediret, respondit, non-
dum se quod didicerat, perfecisse. Apostolicum esse præceptum. Estote Iac. 1. 22.
factores verbi, et non auditores tantum.

IV. R E M E D. Considera non modo diuina gratia, sed etiam magna
prudencia & circumspectione ex parte tua esse opus, vt in colloquiis ha-
beas rationem circumspectantiarum, vt accurate monuit Spiritus sanctus in
scripturis. Et primo Temporis, quando sit loquendum. Mala enim aurea Prouerb. 25. 11.
in lectis argenteis, inquit Salomon, qui loquitur verbum in tempore suo. Tempus Eccl. 3. 7.
etiam est tacendi, et tempus loquendi. 2. Personarum, quibuscum est loquen- Prouerb. 23. 9.
dum. In auribus insipientium, inquit idem, ne loquaris, quia despicient doctrinam
eorum. Et Vbi non est auditus, ne effundas sermonem. Et, In medio magnatorum lo-

Eccli. 32. 13. qui non praesumas, & ubi sunt senes, non multum loquaris. 3. materia, qd loquaris. *Lingua mea*, aiebat rex David, *meditabitur in iustitiam tuam, toto die laudem tuam.* Omnis enarratio tua, ait Sapiens, sit in praeceptis altissimi. Et. Antequam loquaris discere. Si quis loquitur, inquit B. Petrus, quasi sermones Dei. 4. Modi, quomodo loquaris. *Eruditus enim in verbo*, inquit Salomon, *reperiet bona.* Et, *Favus mellis copiosa verba.* Et. *Qui prius respondet, quam audiat, stultum se esse demonstrat, & confusione dignum.* Sermo vester, ait Apostolus, semper in gratia sit sicut conditum, ut sciatis, quomodo oporteat vos unicuique respondere. & B. Iacobus. *Sic autem homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum.* Has 4. circumstantias, si quis in colloquiis non considerarit, facile delinquet. *Qui enim inconsideratus est ad loquendum*, ait Salomon, *sentiet mala.*

Coloff 4. 6.
Iac. 1. 19.

Prouerb. 13. 3.

V. REMED. Considera exemplum Christi, quam circumspicere in colloquiis se habuerit, nec otiosum verbum sibi excidere passus sit. Nam primo ex omni materia ansam capiebat aliquid spirituale dicendi, ut, cum egit apud Ioannem cum Samaritana de aqua haurienda, transit ad sermonem de aqua viva saliente in vitam aeternam. Et cum quidam dicerent. *Domine semper da nobis panem hunc.* subiecit *Ego sum panis vitae. Qui venit ad me, non esuriet.* 2. cum eo loquente ad turbas, quidam diceret. *Ecce mater tua, & fratres tui foris stant, quarentes loqui tibi,* deposita quasi omni affectione carnali erga eos, respondit. *Quae est mater mea, & qui sunt fratres mei?* Et addidit. *Quicumque fecerit voluntatem patris mei, qui in caelis est, ipse meus frater, & soror, & mater est.* 3. cum de propria eius causa sermo incideret, etiam apud Principes viros, tacebat, ut dum apud Pilatum à Principibus sacerdotum falso accusaretur. nam Matthaeus refert eum ad nullum verbum, nec ipsorum, nec Pilati respondisse, ita ut miraretur Praeses vehementer. 4. aliquando acriter in scribas & Phariseos, aliosque aliorum seductores inuehebatur, sic ut vocaret *genimina viperarum, stultos, caecos, hypocritas, filios diaboli.*

Ioan. 4. 33.
Ioan. 6. 35.

Matth. 12. 48.

Matth. 27. 14.

Matth. 3. 7.
Matth. 23. 13. 17.
Ioan. 8. 44.

VI. REMED. Considera exempla sanctorum, qui ab omni otioso vel vano sermone abstinerunt. CASSIANUS lib. 5. instit. monast. *Vidimus*, inquit, *senem Machetem nomine, hanc à Domino gratiam diuturnis precibus impetrasse, ut quotquot diebus ac noctibus ageretur collatio spiritualis, nunquam somni corpore penitus laxaretur. Si quis vero detractionis verbum, seu otiosum retasset inferre, in somnum protinus concidebat: ac sic nec usque ad aurium eius pollutione virtus obloquij poterat pervenire.* VITAE PATRUM in parte secunda exhortat. referunt quendam magnum virum gratiam à Deo obtinuisse, ut in colloquiis piis fratrum, quae de sacris scripturis habebantur, videret sanctos Angelos astantes & plurimum se colloquiis illis oblectantes. *Cum autem addunt, aliud quidvis loquerentur, statim sancti Angeli recedebant longius. Meniebant autem porci sordidissimi, & volucabant se inter eos. Damnae enim in specie.*

Ca. c. 39.

V. P. c. 35.

cie pecorum delectabantur eorum vaniloquiis. *Beatus autem senior hac videns comonebat per monasteria fratres, dicens. Cohibete à multiloquio & ab otiosis sermonibus linguam, per quam malus interitus anima generatur.* S GREGORIUS in dialogis. *Musa puella parua quadam nocte S. Maria virgo apparuit, & coeuias & puellas in albis vestibus ostēdit, quibus cum illa ad misceri appeteret, & in obsequio B. Virginis viuere protinus ab ea mandatum accepit, vt nihil vltra leue & puellare ageret, & à risu & iocis se abstineret, sciens per omnia, quod inter easdem virgines, quas videbat, ad eius obsequium die trigesimo veniret: quod & factum est, quia 30. die B. Virg. cum dictis puellis ad se venire conspexit, & clausis reuerenter oculis clamauit. Ecce domina venio. In qua etiam voce Spiritum reddidit.* B. GREG. TYRONICVS *Apud Sarium.* in vita. S. Nicetii presbyteri, postea Episcopi Lugdunensis, narrat eum nulla verba nisi sancta & pia elocutum, ociosa vel iociosa nunquā: contumeliosa verò in alios vel in se coniecta negabat esse audienda, eo quod ex animi perturbatione prolata essent. S. AVGVSTINVS in libris Confessionum multis verbis commemorat, quemadmodum cum matre Monica prolixum colloquium ad ostiam Tyberinam de pulcritudine cœli & terræ habuerit, sensimque trāsierit ad sermonem de vita æterna; sic vt Monica tandem diceret. *Fili nulla iam re delector in hac vita.* Mundus enim iste inter verba ei vilescerat cum delectationibus suis. S. THOMAS Aquinatis, vt in eius vita scribitur, orandi meditandique exercitium graue non fuit, quod consueffet cum sociis duntaxat de rebus piis, & ad ædificationem proximi spectantibus loqui. VINCENT. Bellouacensis in spec. historiali refert Durannum quendam ex Abbate Episcopum Tholosanum, virum cæteroquin pium & diligentem, idcirco in purgatorijs pœnis aliquandiu detentum, quod sapius verba risum mouentia incautè vsurpasset, indeque tandem septem fratrum monachorum silentio ad septem dies continuato fuisse ereptum.

VII. REMED. Considera, maximè si religiosus sis, cum omnes homines naturā duce libenter & crebro loquantur de rebus suæ professioni consentaneis, secundum illud, *Tractant fabrilia fabri, nihil esse conuenientius tibi, quam de rebus spiritualibus cum professione tua congruentibus agere, idque eo prochiuius quo res spirituales sunt excellentiores, & vberiore fructum secum ferūt. Quemadmodum enim, quo quis muscum aliasq; res odoriferas manu amplius versat, hoc fragrantiores odores sentit: ita quoq; quo quis tractationem rerum spiritualium crebrius in colloquium inducit, hoc animum maiori consolationum suauitate perfundit. Vt autem id libenter facias, opus est vt ad res spirituales, quod professio tua postulat, valde afficiaris. Verissimū enim est illud PLATONIS dictum, *homines amore ipso fieri facundos ad loquendum de rebus, quas amant.* Vt enim in corporibus mixtis elementū prædominās, trahit ad locum,*

vel

vel centrum quod appetit, reliqua elementa, ita si amor rerum spiritua-
lium in nobis præ cæteris amoribus prædominaretur, facile mentem &
linguam pertraheret ad spiritualia colloquia. At dices. Vnde mihi hunc
amorem comparabo? Ex noticia rerum spiritualium: *nemo enim amare po-
test bonum*, inquit B. Chrysoft. *quod nescit*. Notitia autem illa capitur ex fer-
uenti oratione, diuinarum rerum contemplatione, assidua piorum li-
brorum lectione, & spirituali colloquutione & collatione.

VIDE V. *Linguae abusus. Mendacium. Otium. Societas praua.*

CONSCIENCIA SCRUPVLOSA.

Remedia contra Conscient. Scrupulosam.

Eccli. 7. 9.

I. REMED. Considera quid sit scrupulosa Conscientia, quæ ab aliis
dicitur Erronea, vel timida, vel pusillanimis, secundum illud Eccle-
siastici. *Noli esse pusillanimis in animo tuo*. habet autem nomen à scrupulo, id
est, lapillo. Vt enim hic calceo inclusus pedem excruciat ambulantis, sic
quorundam piorum hominum, maximè tyronum in religione, consci-
entiæ inhæret suspicio, formido, & anxietas, ex nulla, vel certe leui causa
orta, num rectè hoc vel illud fecerint, vt verbi causa, confessionem inte-
gram totius vitæ inst tuerint. Tali formidine exagitabatur initio conuer-
tionis suæ AVGVSTINVS, cum in libris confessionum ita scribit *Mul-
tum timeo occulta mea, quæ norunt oculi tui, mei autem non. in his omnibus periculis
& laboribus vides tremorem cordis mei, & vulnera mea magis subinde à te sanari,
quam mihi non infligi, sentio.*

A. l. 10. 28.

Iac. 1. 5.

Caict. in sum-
ma la.
Matt. 17. 14.

II. REMED. Oratio ad Deum & sanctos coniuncta ieiunio aliisue
bonis operibus. *Si quis vestrum*. ait B. Iacobus, cum loqueretur de tenta-
tionibus, *indiget Sapiaentia ad expugnandum illas, postulet à Deo, & dabitur illi.*
Quod remedium meritò Caietanus vocat diuinum, Figuram enim scrupu-
losi in Euangelio gerebat Lunaticus à Spiritu malo obsessus. Vt enim
ille nunc in ignem, nunc in aquam se iactabat: sic scrupulosus miserè ex
vna cogitatione in aliam iactatur. Atq; vtille, teste Christo, curari nò po-
tuit, nisi per orationem & ieiunium, sic hic difficulter sanari posse videtur
nisi per orationem & ieiunium, aliaue opera pia.

Aug. de vera re-
lig. c. 14.

III. REMED. Considera, si scrupulosus sis & timeas te in aliqua re
peccasse, præcipue duo. Primum, te nunquam peccare, quale scuncq; de-
mum incidat cogitationes, imaginationes, vel propensiones ad peccan-
dum, nisi voluntate consentias, vel delesteris in ipsis. *Nullum enim pecca-
tum est*, secundum B. Augustinū, *nisi sit voluntarium*. Alterum est, vt perpen-
das, num id quod fecisti, vel in quo consentisti, vel quod facere voluisti,
repugnet præcepto Dei, vel Ecclesiæ; nam si non repugnet, certus esse
debes

CONSCIENCIA SCRVPVLOSA.

33

debes non esse peccatum mortale. *Peccatum enim secundū eundem Aug. est dictum, factum, vel concupitum contra legē Dei.* De veniali siquidem lapsu nō est quod magnopere angaris, quia propter illum non excides ex gratia vel amicitia diuina; & communis est tibi cum omnibus iustis & sanctis, de quibus scriptum est. *Septies cader iustus, & resurget.*

Prou. 24. 16.

IV. REMED. Si passio scrupulosa ita obscuret mentem, ut nescias statueret tecum, an conserferis, vel an legem Dei vel Ecclesiæ præuaricatus fueris, ne fide tuo iudicio, sed alieno, ut superioris, Confessarii, vel alterius Patris spiritualis, cuius sententiam in omnibus constanter sequaris. *Monet enim Sapiens. Ne innitaris prudentiæ tuæ. & S. Tobias. Consilium semper à sapiente perquire.* Vnde S. AUGUSTINVS in quadam epistola consulit Paulino ut eiusmodi animi dubitationes cōferat cū aliquo perito Medico spirituali. Et S. ANTONINVS ex historia Dominicana refert, scrupulosum quendam à fratris Spiritu, qui ei post mortem apparuerat, consilium petiisse de scrupulis, eumq; respondisse. *Consule bonos, prudentesq; viros, & acquiesce eis.* Ac re ipsa declaratum est, hoc eis profuisse. Scribit enim idem, aliquē, quendam sacerdotem in cænobio S. Bernardi ita scrupulis diuexatum fuisse, ut sacrum Missæ facere non auderet, cum verò S. Bernardus ei imperasset, ut sua fide confusus fieret, non solum fecit, sed etiam ab omnibus scrupulis deinceps solutus fuit. Narrat & vetustus author B. CLIMACVS monachum quendam de blasphemia 20. annis tentatum, ieiuniis & vigiliis se frustra afflixisse, donec cuidam Seniori illam aperuisset, qui ei dixit. *Super collum meum sit hoc peccatum, quot quot annis te oppugnauit, & adhuc oppugnabit, tu verò illud omnino stoccipende.* Quæ tentatio ante discessum euauit.

Prou. 3. 5.

Tob. 4. 19.

A. cp. 250.

Ant. in sum. 1. p.

tit. 3. c. 10.

Clim. grad. 3.

Gal. 6. 1.

V. REMED. Si tu ipse sis superior, vel Pater spiritualis hominis scrupulosi, scrupulumq; tibi patefecerit. Primò benignè eum mone, ut totam conscientiam suam syncerè patefaciat, secundum illud Apostoli. *Fratres, & si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis huiusmodi instruite in Spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne & tu tenteris. Alter alterius oneratare, & sic adimplebitis legem Christi.* Quod verò maius onus esse potest scrupulis? 2. examinandæ conscientiæ, peccataq; confitendi modum ei perscribe. 3. modum orandi congruētē morbo ei trade. 4. dissuade electionem eorum librorum, qui scrupulos renouare queant, ut sunt Cassistarum, ac similiter conuersationem eorum, qui eum in scrupulis confirmant. 5. mone, ne otio vacet, sed semper honesta occupatione distinctur. 6. Si anxius sit de peccatis iam olim accurratè confessis semel atq; iterum, serio prohibe illi, ne vllam: amplius confessionem generalem de tota vita faciat, imò præteritorum omnium peccatorum memoriam excludat, vti fecit apud Cassianum Abbas Pinufius ita cuidā respondens. *Calcol. 20. c. 9.*

E

Quod

Bern. serm. 3.

1. Tim. 1.

G. in tract. de regulis moral.

Sap. 1. 9.
Psal. 72. 3.
Thren. 3. 25.
Ezech. 18.

Matth. 11. 28.

Quod dixisti te etiam de industria prætorum peccatorum memoriam retrahere, hoc fieri penitus nõ oportet, quini mo etiam si violenter irrepserit: protinus extrudatur. Et S. Bernardus in sermone de S. Petro & Paulo. *Ad Dominum iam conuersos non nimium cruciet prætorum conscientia delictorum, sed tantum humiliet vos, sicut et ipsum Paulum.* 7. Ægre aditum illi præbe ad proponendum suas dubitationes & scrupulos, & si importunè vrgeat, etiã verbis appositis absterre, ac penitus exclude. 8. nullo modo permittite, vt de scrupulis & dubiis suis confiteatur, sed tãtum ea quæ manifestè peccata esse cognorit: alloquin nunquam ex animo eius scrupuli euellentur. 9. dubitationes eius semper in meliorem partem & mitiorem interpreteris: id enim fieri posse habetur in c. *estote, de regulis iuris.* & l. *proximè, ff. de his quæ in testam. delent.* 10. hortare, vt omnino contemnat suos scrupulos; imò sæpè expedit, vt docet Io. Gerson, agere contra scrupulos. Sicut enim qui lignum distortum vult facere rectum, in contrariam partem inflectit: sic qui distortam per scrupulos conscientiam habet, se in contrarium inflectere debet. 11. si nimium anxius sit, ac etiam lacrymas profundat, mone vt optimam opinionem habeat de summa Dei bonitate, & misericordia infinita, quæ longissimè superet peccatorum numerum & grauitatem. Sapiētis enim vox est. *Sentite de Domino in bonitate.* Et Dauidis, viri secundum cor Dei. *Quam bonus Israel Deus his, qui recto sunt corde.* Et Ieremiæ. *Bonus est Dominus sperantibus in eum.* Et Ezechielis. *Si impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, et custodierit omnia præcepta mea, et c. omnium iniquitatum eius, quas operatus est non recordabor.* 12. Contempletur quoque vultum speciosissimum, benignissimumq; humanitatis Christi, qualem Apostoli conspiciebant olim cum eos doceret, & ageret cum hominibus, nempe serenum, hilarem, in sui amorem rapientem, omnes solãtem, & in verba illa erumpentem. *Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos.* 13. Hæc omnia si non iuuerint, & scrupulosus pergat potius suo sensui & Phantasiæ adhærescere, quam suo Patri spirituali, clarè ei dicendum est, hoc non proficisci nisi ex occulta eius superbia: eamq; superbiam esse grauiorem omnibus culpis per scrupulos in memoriam refricatis. nec posse illam curari, nisi sensum suum prorsus abneget, & simpliciter, tanquam puer iudicio superioris illum submittat.

VIDE V. *Amor sui. Desolatio spiritalis. Illusione: spirituales. Indiscretio. Inobedientia. Iudicium proprium. Pusillanimitas. Timor humanus. Tristitia.*

CON-

CONSVETVDO PRAVA.

Remedia contra Consuet. prauam.

I R E M E D. Considera, quam grauis, ac prope incurabilis sit morbus
Cōsuetudinis prauæ. Sicut enim diuturnos & inueteratos corporis mor-
 bos Medici corporales agrè curant, secūdum illud sacri prouerbii. *Lang- Eccl. 10. 11.*
 uor prolixior grauat medicum: breuem languorem praeiicit medicus. Sic medici
 spirituales difficulter curare queunt morbum spiritualem cōsuetudinis
 prauæ. Quod scriptura diuina ob oculos posuit illa sententia Salomo-
 nis. *Prouerbiū est. Adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet.* Prou. 22. 7.
 ab ea. Difficulter enim eradiur, vt eleganter scribit B. H I E R O N Y M V S ad Hier. epist. 7.
 Latam, de institutione filia, quod rudes animi perbiberunt. Recens testa diu
 saporem retinet & odorem, quo primum imbuta est. Et mox addit. Græca narrat hi-
 storia, Alexandrum potentissimum regem, orbisq; dominorem, & in moribus, & in
 incessu, Leonidis pedagogi sui non potuisse careere vitiis, quibus adhuc paruulus fuit
 infectus. Procliuis est enim malorum æmulatio: & quorum virtutes assequi nequeas,
 cito imitaris vicia. Deinde illa I E R E M I A E, qua inueteratam Iudeorum Ier. 13. 23.
 perstringit malitiam. *Si mutare potest æthiops pellem suam, aut pardus varie-
 tates suas, & vos poteritis bene facere, cum didiceritis malum.* Non natura, inquit
 in eundem locum idem Hieronymus, sed nimia consuetudine & amore peccā-
 di firmatum, sic vt in naturam conuersum videatur. Eandem difficultatem in sa-
 nando consuetudinis prauæ morbo omnes S. Patres sunt confessi. S. BA- Bas. hom. 5.
 SILIUS in martyrem Iulittam. *Per molestum est, & vix toleratu possibile, vel
 ipsis brutis, amoueri à consuetudine. Equidem ipse bonem vidit ad præsepe lachryman-
 tem sibi compascuo morte præcepto.* Et in Regulis fusius d sput. quæst. 6. Consue-
 tudo vetustate firmata naturæ vim solet nancisci. S. C H R Y S O S T. in c. 4. epist. 2. ad Chryl. hom. 7.
 Corinth. *Magna est consuetudinis tyrannis, adeoq; magna, vt perinde cogat, ac natu-
 ra.* D. A V G V S T I N V S. *Vincere consuetudinem dura pugna.* Et rursus. *Tinebam Aug. in Psal. 30.
 Domine Deus ne me cito exaudires: vt formidabam quasi mortem consuetudinis muta- & l. 8. conf. c. 7.*
 tionem. Quo ergo consuetudo praua incurabilius morbus est, hoc effica-
 ciora sunt vsurpanda remedia.

II. R E M E D I V M est, recursus ad auxilium diuinum per ardentem
 ad Deum orationem. Nam vt monuit B. H I E R O N. in locum Iere-
 miæ ante citatum, etiamsi impossibile videatur apud homines pellem
 Æthiopicam, vel inueteratam consuetudinem mutare, tamen non
 est, (quod & de diuite saluando C H R I S T V S dixit) impossibile Matt. 19. 25,
 apud D E V M. *Omnia possum, inquit Apostolus, in eo, qui me confortat.* Phil. 4. 13.
 Necnon S. Basilius, qui dixerat consuetudinem vim naturæ nancisci Basl. q. 6. reg.
 ful. d. 1.

Chry. ep. 5.

Aug. l. 8. c. 5.

B. cap. 11.

Pfal. 12.
Pfal. 78.Habet in vicis
pp. c. 207. p. 2. &
Hier. ep. 4. ad
Rust.

temporis vetustate, disertè asseuerat contractas ex consuetudine peccandi labes assidua oratione posse abstergi, eo quod nullum tam inueteratum sit crimen, quod Deus precibus motus extirpare non queat. Et B. I. O. CHRYSOST. scribens ad Theodorum lapsum, ea ratione ad spem certam veniæ erigit: quod si Dæmon eum potuerit à summo virtutis fastigio in extremam deturbare malitiam, Deum multo facilius posse eum, non modo in pristinam libertatem, verum etiam in excelsoiorem vindicare. Exemplum huius remedii luculentum habemus in AVGVST. qui vt non semel queritur difficilimum sibi aditum fuisse ad veram conuersionem ob inueteratam flagitiosæ vitæ consuetudinem, ita pariter fatetur eum sibi orationis cum lacrymis ad Deum fusæ beneficio tandem patefactum. Sic enim in octauo Confessionum libro loquitur. *Ligatus eram non ferro alieno, sed me a ferrea voluntate. Velle meum tenebat inimicus, et inde mihi catenam fecerat, et constrinxerat me: quippe ex voluntate peruersa facta est libido, et dum seruitur libidini, facta est consuetudo, et dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas. Ac tandè post multa interiecta concludit. Ego sub quadam sici arbore strausi me nescio quomodo, et dimisi habenas lacrymis, et proruperunt flumina oculorum meorum, acceptabile sacrificium tuum. Et non quidem his verbis, sed in hac sententia multa dixi tibi. Et tu Domine vsquequo? Vsquequo transeris in finem? Ne memor fueris iniquitatum nostrarum antiquarum. Sentiebam enim me ab eis teneri, et tatabam voces miserabiles. Quamdiu, quamdiu, cras et cras? quare non modo? quare non hac hora finis turpitudinis mee? Dicebam hac, et flebam amarissima contritione cordis mei. Et ecce audio vocem. Tolle lege, tolle lege, etc. qua lectione finita, quasi luce securitatis, inquit, infusa cordi meo omnes dubitationis tenebre diffugerunt.*

III. REMEDIUM. Recursus ad auxilium, vel consilium humanum prudentis Patris spiritualis. Quod remedium proponit BERNARDVS in sermone de septem Spiritus sancti donis. *Est consuetudo, inquit, hac grauis quedam et perniciosa catena, soluenda vt que facilius, quam rumpenda: vt hic maxime vulgare illud prouerbum non videatur vsurpari, industriam violentia potiore: vt quemadmodum vis vi repellitur, et feruore Spiritus feruor extinguatur desideriorum, vt maligni artem arte deludas, et consuetudini consilium opponas. Alioquin si forte violentiam queras, et castigationem corporis speres consuetudini praualescere, timendum omnino est, ne sit perniciosa labor, et prius ipsa substantia deficiat, quam inolita concupiscentia: praesertim quod altera quedam natura sit ipsa consuetudo. Necessarium itaque est consilium, vel ab ipso magni consilij Angelo ministratum, vel ab homine aliquo spirituali, qui cogitationes Sathanae, spiritualiaque remedia non ignoret. Legimus fratres, in eremo fornicationis Spiritu quempiam impugnatum, laudabili prorsus industria à Patre curatum. Aduocans enim senior fratrem alterum secretò, iussit vt eundem lateffret iniuriis, et prior ipse quasi accepta ab eo iniuria quereretur. Anxiebatur ille, et confusus vehementer, sic in breui oblitus est pristina*

centa.

uentationis, vt querenti de ea non sine admiratione plurima responderet: Papè viuere non licet, et fornicari libet? Eodem spectant illa verba S. AVGVST. in epi-
stola ad Aurelium, dum agit de ebrietate exstirpanda, quæ apud multos
longa consuetudine inualuerat. Non sperè, inquit, quantum existimo, non du-
riter, non modo impetuosè ista tolluntur: magis docendo, quam iubendo: magis monen-
do, quam minando: Sic enim agendum est cum multitudine peccantium. Seueritas autè
exercenda est in peccata paucorum.

IV. REMED. Considera, in quanta pericula salutem animæ tuæ con-
iicias, si in peccando non statim obstitas principiis. Sero enim medicina pa-
ratur, ait Poeta ille, Dum mala per longas conualuere moras. Fili peccasti? mon et
Ecclesiasticus, non adicias iterum: sed et de pristinis deprecare, vt tibi dimittantur.
Ea enim peccati natura est, vt quo crebrius iteratur, hoc magis homini
dominetur: sicut clauus quo sæpius malleo verberatur hoc altius infigi-
tur, vt liquet in Petri Apostoli negatione. nam in prima tantum respon-
dit. Nescio quid dicis. In secunda negant cum iuramento: in tertia verò cepit de-
testari, et iurare, quia non non: sicut hominem. 2. Periculum est, ne crebra iteratio
eiusdem delicti tandem transeat in consuetudinem: qua fit vt iam diffi-
cile sit respiscere. vnde Augustinus, vt dictum est, consuetudinis muta-
tionem reformidabat velut mortem. Deinde facit, vt grauius crimina etiã
videantur leuia, Peccata quamuis magna et horrenda, ait idem, cum in consuetu-
dinem venerint, aut parua, aut nulla esse creduntur, vsque adeò, vt non solum non oc-
cultanda, verum etiam iam prædicanda, ac diffamanda videantur. Denique aspe-
ram et diffi- cil. m reddit virtutum viam. Asperam, inquit B. PAVLINVS ad
Celantiam, nobis et insuauem virtutum viam nimia facit victorum consuetudo. 3.
periculum est, ne consuetudo tandem transeat in necessitatem. Dum ser-
uitur libidini, inquit Augustinus, facta est consuetudo: et dum consuetudini non
resistitur facta est necessitas, qua trahitur et tenetur etiam inuictus animus. Nec mi-
rum, quia teste B. GREGOR. in moralibus, quot vicibus praua frequentationis
bomo astringitur, tot quasi vinculis ad mentem ligatur. 4. Periculum est contem-
ptus, auctore S. BERNARDO, quo homo rotas concupiscentiæ laxat habenas,
totoque impetu fertur in præcepta, sicut scriptum est. Impius, cum venerit in profun-
dum peccatorum contemnit 5. & vltimo Desperationis & malitiæ. Nam si con-
tempnus persistit, ita pergit idem, accedere necesse est et malitiam, vt quam possit con-
solationem desperatus miser admittat: et cui non est pars in bonis, letetur vel in malis
letetur cum malefecerit, et exultet in rebus pessimis.

V. REMED. Iugis diuinorum decretorum obseruatio, bonorumque
operum exercitatio. Iure siquidè exigitur ab eo, qui diu in flagitiis renu-
ente conscientia persistit, vt diutius etiam in virtutù studio se exerceat.
Sicut fuit sensus vester, inquit spiritus sanctus apud prophetam Baruch, vt
erraveritis à Deo: decies tantum iterum conuertentes requiretis eum. Et apud Apo-
stolum

Ouid. i. Remed.
Eccli. 21.1.

Matth. 16. 70.

Aug. in Enchi-
rid. c. 80.

Hier. ep. 1. 4.

Aug. l. 8.
confes. cap. 3.

Greg. l. 4.
cap. 28.

Bern. serm. de
donis.

Prou. 18. 3.

Bar. 4. 28.

Rom. 6. 19. *Stolum. Humanum dico, propter infirmitatem carnis vestra. Sicut enim exhibu-*
istis membra vestra seruire immunditia & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc ex-
hibete membra vestra seruire iustitia in sanctificationem. Hoc remedium tra-
 dit S. BASILIVS. in reg. fus. disput. Sicut enim, inquit, morbi cor-
 poris inuenterati non nisi longa & acri curatione sanantur : sic peccata inueterata
 diuturna patientia, assidua oratione, & acerrimi animi contentione curari oportet.
 Quod repetiis vicibus, ac multo cum labore intinctum est, tincturam excipit pres-
 sius inhaerentem, & qua vix elui queat : obiter autem colore aliquo infectum tin-
 cturam bibit facile mobilem : sic anima sanie peccatorum suppurata, & in habitu
 constituta malitia vix ac multo negotio elui potest, Eodem spectat consilium
 Chry. hom. 10. B. IOAN. CHRYSOST. qui scribens in cap. 4. Actor. Apost. suadet,
 vt consuetudo mala in contrariam consuetudinem bonam transferatur,
 & sic clauus clauo pellatur.

VI. REMED. est. Refugere omnes occasiones in vetera peccata
 qua longa consuetudine occalluerunt, relabendi. Hoc remedium tra-
 dit S. BERNARD. loco supra allegato. Qui enim tangit picem, inquit sapi-
 ens, inquinabitur ab ea, & qui communicauerit superbo induet superbiam Ne com-
 misceamini, clamat B. Paulus, fornicarijs, & cum huiusmodi nec cibum sumite.
 An nescitis quod modicum fermentum totam massam corrumpit? Et rursus,
 Corrumunt bonos mores colloquia mala. Si qua ovis morbida a pastore of-
 fenditur, eam ilico a reliquo grege separat. Vnaque conspecta, ait ille, li-
 uorem ducit ab vna, nisi maturè seiungantur. Et verbum est spiritus
 sancti. Cum electo electus eris, & cum peruerso peruerteris. Dices, ardu-
 am nimis saepe esse hanc separationem, vt a coniunctissimis sodali-
 bus. At coniunctiores nulli esse possunt parentibus, filiis, cognatis.
 Et tamen si illi occasionem praebeant tibi perstandi in praua consuetu-
 dine, audiendum erit dictum Christi. Si quis veniet ad me, & non odit pa-
 trem suum & matrem & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc au-
 tem & animam suam, non potest meus esse discipulus. Et alibi. Si scandaliza-
 ueris te manus tua, absconde illam. si pes tuus, amputa illum &c. Bonum est ti-
 bi debilem, introire in vitam, quam duas manus, vel pedes habentem mitti in
 gehennam ignis inextinguibilis. Quid verò magis homini coniunctum, quam
 propria membra? Abraham, inquit B. CHRYSOST. de laudibus S. Pau-
 liagens, offerens filium suum unigenitum, & tres pueri Babylonij corpora igni-
 bus, ac martyres omnes infinitis se offerentes cruciatibus, non consuetudinem,
 sed naturam ipsam vicerunt, immo S. Paulus bona virtutum a voluntate orta in
 natura firmitatem ita conuertit, vt esset quasi virtutis statua, & non poterimus
 nos consuetudinem a voluntate ortam redigere ad voluntatem? Initia quidem
 fugiendarum occasionum sunt difficilia, tamen vel minimus pro-
 gressus omnia reddit leuiora. Quando quis, inquit idem Chrysostr. in pa-
 ren-

ren. ad Theodorum lapsum, in fornace voluptatum consistit, etiamsi ex-
 emplis abundet infinitis, ipsi res esse supra vires apparet: ceterum, si vel leniter
 coepit illinc egredi, identidem procedens vim ignis à tergo relinquit, videt-
 que ante se, & ad pedes propemodum viam roscidam, atque eximia facilita-
 tis.

Chry. parantia

VII. REMED. Considera duplicem historiam Euangelicam, in qui-
 bus prauæ consuetudinis superandæ difficultas, & remedia hæcenus
 allata ad viuum adumbrata videntur. Quod enim quædam facta Chri-
 sti etiam spiritualiter intelligi debeant, non semel tradit D. AVGVSTI-
 NVS. CHRISTVS, inquit, ea quæ faciebat corporaliter, etiam spiritualiter vo-
 lebat intelligi, neque enim tantum miracula propter miracula faciebat, sed ut illa quæ
 faciebat mira essent videntibus, vera essent intelligentibus. Quemadmodum
 qui videt litteras in codice optime scripro, & non nescit legere, laudat quidem
 antiquarij manum, admirans apicum pulchritudinem, sed quid sibi velint, quid
 indicent illi apices nescit, & est oculis laudator, mente non cognitor. Alius au-
 tem & laudat artificium, & capit intellectum. Ita qui viderunt Christi mira-
 cula, & non intellexerunt, quid sibi vellent, mirati sunt tantum quæ facta sunt.
 Alij vero & facta mirati, & intellecta assecuti. Tales nos in schola Christi esse
 debemus. Hæc ille. Idem docet B. GREGORIUS in homiliis Euangeli-
 cis. PRIOR historia est apud B. Ioannem de Lazaro mortuo, quadridua-
 no, iam fœtente, manibus & pedibus ligato, ac existente in monumen-
 to, cui lapis erat impositus, ad vitam post amotum lapidem lacrymis,
 oratione, & clamore Christi reuocato, atque ab Apostolis vinculis
 soluto. In quam historiam sic scribit AVGVSTINVS. Moles illa
 imposita sepulchro, ipsa est vis dura consuetudinis, qua premitur anima, nec re-
 surgere, nec respirare permittitur. Dicitur est autem. Quadriduanus est. Rene-
 ra ad istam consuetudinem quæto quodam progressu peruenit anima. Prima est
 enim quasi titillatio delectationis in corde: secunda consensio; tertia factum;
 quarta consuetudo etc. Factum enim in consuetudinem vertitur, & fit quæ-
 dam desperatio, ut dicatur. Quadriduanus iam puer. Venit ergo Dominus. Cui
 vique facilia erant omnia, & difficultatem quandam ostendit. Ibi infremuit
 spiritus. ostendit multo clamore obiurgationis opus esse ad eos, qui consuetudine
 durauerunt. tamen ad vocem clamantis Domini rupta sunt vincula necessitatis.
 processit de monumento viuus, & ambulare non poterat. Et dominus ad discipu-
 los. Soluite eum, & snite abire etc. Hoc officium discipulis dedit, quibus
 ait. Quæ solueritis in terra, soluta sunt & in cælo. POSTERIOR histo-
 ria est apud Marcum de surdo & muto; quem ut Dominus sanaret, pri-
 mo apprehendit eum de turba seorsim 2. misit digitos in eius auri-
 culas. 3. exspuens tetigit linguam eius. 4. suspiciens in cælum in-
 genuit.

Aug. ferm. 44.
 de verb. dom. 18
 Ioan.

Greg. hom. 2.
 Ioan. 11. 39.

Aug. l. c. 6

Matt. 18.
 Marc. 7. 23.

gemuit. 5. ait illi. Ephpheta, hoc est, adaperire. Quot cerimonias non alia de causa proculdubio Christus vsurpauit, quam vt nos doceret, primo quam difficile sit peccati consuetudinem vincere 2. quibus remediis opus sit ad hunc morbum sanandum, nempe separatione à turba, id est, à praua hominum societate. tum inuocatione diuinæ gratiæ, vt auditum fidei & obedientiæ Deus nobis aperiat. Adhæc contritione de peccatis, confessione & satisfactione, &c.

VIDE. V. *Immortificatio passionum. Obstinatio. Societas praua.*

CONTEMPTVS.

Remedia contra contemptum.

I R E M E D. Considera diuinarum literarum dicta de contemptu diuinarum humanarumue legum, itē de contemptu proximi, parentum, pauperum, &c. Primo. n. tradunt, vnde manet contemptus. Salomon siquidem ait. *impius, cum in profundum venerit peccatorum contemnit, sed sequitur eum ignominia & opprobrium.* Et iterum. *Hoc est pessimum inter omnia, quæ sub sole fiunt, quia eadem cunctis eueniunt: vnde & corda filiorum hominum implentur malitia & contemptu in vita sua, & post hæc ad inferos delucentur.* 2. ex cōminatione pœnarum indicant, quam graue sit peccatum, Dei, legumque eius contemptus. Sic enim loquitur Deus in Prouerbiis Salomonis. *Despexistis omne consilium meum & increpationes meas neglexistis. Ego quoq; in interitu vestro ridebo & subsannabo.* Et. *Abominatio Domini est omnis illusor. Ipse deludet illusores, & mansuetis dabit gratiam.* Et. *Eijce derisorem, & exibit cum eo iurgium, cessabuntque causæ & contumeliæ.* Et Ecclesiasticus. *Omnis homo qui transgreditur tectum suum, contemnens in animam suã, & dicens. Quis me videt? tenebræ circumdant me, &c. quæ vereor? delictorum meorum non memorabitur altissimus, &c.* Hic in plateis ciuitatis vindicabitur, & quasi pullus equinus fugabitur. Et Isaias, *Væ qui spernis, nonne & ipse sperneris? cum fatigatus desieris contemnere, contemneris.* Et in primo libro Regum Deus. *Quicumq; glorificauerit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Et in Leuitico. *Si spreueritis leges meas, & iudicia mea contempseritis, &c. ego quoq; hæc faciam vobis. Visitabo vos velociter in egestate & ardore, qui conficiat oculos vestros, consumat animas vestras.* Et Christus apud Ioannem. *Qui spernit me, & non accipit verba mea, habet qui iudicet eum.* Et Apostolus ad Romanos. *An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? secundum duritiam tuam, & impænitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ.* Deinde indicant diuinæ litteræ, quam grauis sit contemptus superiorum & legum humanarū, vt in Deuteronomio. *Qui superbierit, inquit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tēpore ministrat Domino Deo tuo,*

Prou. 8. 3.
Eccl. 9. 3.

Prou. 1. 25.

Prou. 3. 12.
Prou. 22. 10.
Eccl. 23. 25.

Isa. 33.

1. Reg. 2. 30.
Leuit. 26. 15.

Ioan. 12. 48.
Rom. 2. 4.

Deut. 17. 11.

& de-

et decreto iudicis, morietur homo ille et auferes malum de Israhel. Et in prouer- Prou. 29. 2
biis. Viro, qui corripientem dura ceruice contemnit, repentinus ei superueniet inte-
rius. Et Christus apud B. Lucam. Qui vos spernit, me spernit, Qui autem Luc. 10. 16.
spernit me, spernit eum, qui misit me. Denique, quam malum sit contem-
nere vel irridere parentes, seniores, amicos, pauperes, iustos & alios quo-
suis proximos. Nam Salomon ait. Filius sapiens letificat patrem, et stultus ho- Prou. 15. 20.
mo despiciit, matrem suam. Et. audi patrem tuum, qui genuit te, et ne contemnas eum se- Prou. 23. 22.
nuerit mater tua. Et. Oculum, qui subsannat patrem, et qui despiciit partum matris sue, Prou. 30. 17.
effodiant eum corui de torrentibus, et comedant eum filii aquila. Et Ecclesiasticus.
Ne spernas hominem in sua senectute: etenim ex nobis senescunt. Et. Ne despicias nar- Eccli. 8. 7. 9.
rationem presbyterorum sapientium. Et in prouerbiis. Qui despiciit amicum suum, Pro. 11. 12.
indigens corde est. Et Qui despiciit proximum suum, peccat. Et Qui despiciit pauperem, ex- Pro. 14. 21.
probrat factori eius. Et. Qui despiciit deprecantem, sustinebit penuriam. Et Sapiens, Pro. 17. 5.
Tunc stabunt iusti in magna constantia aduersus eos, qui se angustiauerunt, &c. di- Pro. 24. 27.
cemes intra se, penitentiam agentes, et pra angustia spiritus gementes. Hi sunt, quos Sap. 5. 1. 3. 14.
aliquando habuimus in derisum, et in similitudinem improprij, &c. Quid nobis pro-
fuit superbia? &c. talia dixerunt in inferno hi, qui peccauerunt. Bas. q. 28.

II. REMEDIUM. Considera sententias SS. Patrum. S. BASILI-
vs in regulis fufius disputatis. Antistitis imperium de rectare, et verbis aduer-
sum iussa illius litigare, magno iudicio est eum, qui id faciat, multis vitiis labora-
re, fidei debilitate, spei ambiguitate, arrogantia morum atque superbia. Neque
enim alterius dicto audiens vnquam esse quisquam recusat, nisi prius ipsum sibi
consilij auctorem apud seipsum despexerit, neque qui sibi certa fide persuasit vera
esse promissa Dei S. AVGVSTINVS de verbis Domini. Qui facit Aug. serm. 3.
quod docet, et qui quicquid imperat complet, maximus in caelestibus sententia Do-
mini declaratur. At verò qui quod dicit negligit, et qui quod audit contemnit,
salutis reus existit, qui obseruanda contempsit, et pericula non vitauit. Amat e-
nim mortem, qui vita praecepta non seruat. Vt enim per obseruantiam legis vi-
ta acquiritur, ita per contemptum mors contumacibus inuenitur, dicente Domino. Matt. 19. 17.
Si via vitam inuenire, serua mandatum Ita enim perfectus doctor liber est à dis-
cente, quem docuit: et discipulus contemptor inexcusatus erit, qui facienda di-
dicit, et contempsit. Et in libro de natura & gratia, agens contra Pelagium c. 29.
asserentem omne peccatum esse superbiam, Hanc, inquit, sententiam sic
probare conatur, omne, inquit, peccatum, nisi fallor Dei contemptus est, et o-
mnis Dei contemptus superbia est. Quid enim tam superbum, quam Deum con-
temnere? omne ergo peccatum et superbia est, etiam scriptura dicente. Initium o-
mnis peccati superbia est. Quaeat diligenter, et inueniet in lege multum discre-
tum esse à ceteris peccatis peccatum superbiae. Multa enim peccata per superbiam
committuntur, sed neque omnia superbe fiunt, quae perperam fiunt: certis à nesci-
entibus, certe ab infirmis, certe plerumque à stentibus et gementibus. Et quidem
F super-

superbia, cum magnum sit ipsa peccatum, ita sine alijs per se ipsa est, ut etiam plerumque non in peccatis, sed in ipsis recte factis pede celeriore superveniat & obrepat.

Nav. in man. c.
23. n. 6.
Azor. l. 4. inst.
mor. c. 7.
Bern. serm. II.

Quod autem de superbia hic dicit, idem de Dei contemptu intelligendum est, non enim qui ex ignorantia aut infirmitate peccant Deum formaliter contemnunt. Et Theologi morales docent, contemptum esse distinctum à superbia & inobedientia peccatum. S. BERNARDVS in psalmum. *Qui habitat*, postquam exposuit quibus gradibus impius in profundum peccatorum delabatur: ut primus sit dissimulatio propriæ infirmitatis, in quo persuadet sibi homo se aliquid esse cum nihil sit: secundus, ignorantia sui, quo non videt sua vulnera: tertius malitiæ, quo defendit ne quidem esse vulnera, tandem subiicit. *Quartus gradus vel quartum potius præcipitium Contemptus est, ut quemadmodum scriptura dicit, Impius, cum venerit in profundum malorum, contemnit.*

Prou. 18. 3.

Ex hoc & deinceps magis ac magis super eum urget puteus os suum, dum videlicet eiusmodi animam contemptus tradit impænitentiæ, impænitentiæ obstinatione firmatur. Hoc est iam peccatum, quod neque in hoc seculo, neque in

Tho. 22. q. 187.
à. 9. ad 3.

futuro remittitur, quia cor durum & induratum, nec timet Deum, nec hominem reueretur. S. THOMAS in altera parte summæ theologicæ disputans quando transgressio regulæ monasticæ fiat ex contemptu, respondet in hæc verba. *Dicendum, quod tunc committit aliquis, vel transgreditur regulam ex contemptu, quando voluntas eius renuit subiaci ordinationi legis vel regulæ, & ex hoc procedit ad faciendum contra legem vel regulam.*

Aug. c. 29.

Quando autem è conuerso propter aliquam particularem causam, puta concupiscentiam vel iram inducitur ad aliquid faciendum contra statuta legis vel regulæ, non peccat ex contemptu, sed ex aliqua alia causa, etiam si frequenter ex eadem causa vel alia simili peccatum iteret, sicut & Augustinus dicit in libro de natura & gratia, quod non omnia peccata committuntur ex contemptu superbia. Frequentia tamen peccati dispositionem inducit ad contemptum secundum illud prouerbiorum. impius, cum in profundum venerit peccatorum, contemnit.

Prou. 18. 3.

III. REMEDIUM. Considera, quam grauius puniti sint, qui contra Deum vel homines deliquerunt per contemptum.

Gen. 16. 4.

Primum sit AGAR ancillæ Saræ quæ ob despectam Dominam punita est. Agar ait scriptura, concepsisse se videns, despectam Dominam suam. Affligente igitur eam Sarai, fugam inijt. Cumque inuenisset eam angelus Domini dixit ad illam. *Vnde venis, & quo vadis? quæ respondit. A facie Sarai, dominæ meæ ego fugio. Dixitque ei angelus. Reuertere ad Dominam tuam, & humiliare sub manu illius.* In quæ

Amb. lib. 1.

verba AMBROSIVS agens de patriarcha Abraham. *Quod afflixit eam Sara ad iracundiam affligentis refertur: quod Agar fugit, contumeliam seruli patientia non ferebatur, quæ sibi herilis contubernij vindicabat fastidium: indignata est*

inijt.

iniuriam, quæ induerat insolentiam. Denique interroganti angelo, quo iret, respondit. A facie Sara domina mea ego fugio. Et hoc tumoris immodici, ut prius nomen diceret, postea dominam significaret. Illud ad iniuriam præmissum, hoc ad expressionem personæ additum. Non placuit angelo ancillæ insolentia. Et ideo dixit illi, reuertere ad dominam tuam, ut ostenderet quia tanquam superba fugiebat, ne subiecta esset dominæ, unde addidit. Et humiliare sub manibus eius. II. exemplum est 2. Reg. 6. 16.

MICHOl vxoris Dauid, de qua ita loquitur Regum historia: Cum intrasset arca Domini in ciuitatem Dauid, Michol filia Saul prospiciens per fenestram, vidit regem Dauid subsilientem, atque saltantem coram Domino, & despexit eum in corde suo. Et paulo post. Egressa Michol filia Saul in occursum Dauid ait. Quam gloriosus fuit hodie rex Israel, discooperiens se ante ancillas seruatorum suorum, & nudatus est, quasi nudetur vnus de scurris. Deinde poena huius contemptus subiicitur Igitur Michol, inquit, filia Saul non est natus filius vsque in diem mortis suæ.

III. est RABSA CES, ducis militum regis Assyriorum, qui ut est in eadem Regum historia, primum contemptum locutus est de populo Hierosolymitano. dicens. Nunquid ad Dominum tuum, & ad te misit me Dominus meus, ut loquerer sermones hos, & non potius ad viros, qui sedent super murum, ut comedant stercora sua, & bibant urinam suam vobiscum? Deinde de Deo Hebræorum. Hæc dicite, inquit, Ezechia regi Iuda. Non te seducat Deus tuus, in quo habes fiduciam, neque dicas. Non tradetur Hierusalem in manus regis Assyriorum. Ob quem incredibilem contemptum & blasphemiam, nocte, ait textus, venit angelus Domini, & percussit in castris Assyriorum centum octaginta quinque millia. Et reuersus est Sennacherib in Nininen: cumque adorasset in templo Nefroch Deum suum, Adramelech & Sarsar filij eius percusserunt eum gladio. IV. est AMAN apud Assuerum regem inter Principes summi, qui quoniam Mardocheum Iudæum ad fores palatii sedentem inter omnes mortales maxime despexerat, ita ut suadentibus amicis excelsam trabem altitudinis quinquaginta cubitorum, è qua eum suspenderet, fieri iusserit, & propter eum omnes Iudæos per literas annulo regio signatas vbique trucidari mandarit: tandem coactus est cum summa sua ignominia illum ipsum Mardocheum equo vestum, & regis vestibus amictum per plateas circumducere, & exclamare. Sic honorabitur, quemcunque rex voluit honorare, ac demum in ipsam trabem, quam Mardocheo parauerat, iussu regis, adactus est. V. Exemplum est Antiochi, qui contemnens Iudæos eorumque Deum, minatus se Ierosolymam in congeriem sepulchri conuersurum, & Iudæos tanquam sepultura indignos, se aibus ac feris diripiendos traditurum, insanabili & inuisibili plaga à Deo percussus est. Ut enim finiuit, ait historia. hunc ipsum sermonem, apprehendit eum dolor dirus viscerum, & amara

internorum tormenta, licet ille nullo modo à sua malitia cessaret. Super hoc autem superbia repletus, ignem spirans animo in Iudeos, & precipiens accelerari negotium contigit illum impetu euntem de curru cadere, & graui corporis collisione membra vexari. Isque qui sibi videbatur etiam fluctibus maris imperare supra humanum modum superbia repletus, & montium altitudines in statera appendere, nunc humiliatus ad terram in gestatorio portabatur, manifestam Dei virtutem in semetipso contestans: ita vt de corpore impij vermes scaturirent, ac viuentes in doloribus carnes eius effluerent, odore etiam illius & fatore exercitus grauaretur.

Luc. 18. 9.

VI. est PHARISÆI, præ se publicanum humilem, ceterosque homines aspernantis. Sic enim scribit B. LVCAS. Dixit autem Dominus & ad quosdam, qui in se confidebant tanquam iusti, & aspernabantur ceteros, parabolam istam. Duo homines ascenderunt in templum, vnus Pharisæus, & alter publicanus. Pharisæus stans hæc apud se orabat. Deus gratias ago tibi, quia non sum sicut ceteri hominum, raptores, iniusti, adulteri: velut etiam hic publicanus. Et publicanus à longe stans, nolebat nec oculos ad cælum leuare, sed percutiebat pectus suū dicens. Deus propitius esto mihi peccatori. Quis verò exitus fuit? Dico vobis, ait Dominus, descendit hic iustificatus in domum suam ab illo, quia omnis qui se exultat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur.

Psal. 118. 4.

IV. REMEDIUM. Considera aliquando peccata, quantumuis leuia, accessione contemptus fieri mortalia, atque ideo consultum, in omni re fugere contemptum. Doctrina est S. BERNARDI in tractatu de præcepto & dispensatione, ad eos religiosos conscripto qui dubitabant quādo in transgressione monasticæ regulæ peccaretur mortaliter. Ac primum docet boni religiosi esse, nec leuia contemnere. Nouit, inquit, veras, humilissq; obediens & minima non contemnere, & maxime curare, quæ maxima sunt: intimo quodam deuoti, sinceri que ani mi sapore discernens, quibus de mandatis ei qui præcē suis quodammodo factis respondeat tum propheta. Tu mandasti mandata tua custodiri nimis. Secundo docet, quæ sint censenda leuia. Quæ inquit, à Præpositis dispensationem admittunt, quia leuiori censura neglecta puniuntur, leuiora dicuntur. Ex his, verbi gratia, dico esse vel risum interdictum, vel indictum silentium. Hæc si quidem, si contra mandatum non veniunt, nec peccata sunt. Accedente mandato, si quo minus iam obseruantur, in peccatum reputantur, non tamen in crimen. Ita sane, si per subreptionem, aut obliuionem, non autem per contemptum horum transgressio contigerit, &c. Vbi que enim & culpabilis neglectus, & contemptus damnabilis est. Differunt autem quod neglectus quidem languor inertia est: contemptus verò superbiæ tumor. Et infra. Sed exemplis, inquit, clarius elucescet, quod dicimus. Si iubente seniore, vt sileam, verbum mihi forte per obliuionem elabitur, reum me fateor inobedientia, sed venialiter. Si ex contemptu sciens & deliberans sponte in verba prorupero, & rupero silentij legem, præuaricatorem me constituo, & criminaliter. Si quaras, cur peccet criminaliter vel mortaliter, qui

qui in re tam leui præceptum ex contemptu deliberato transgreditur. Respondet, quia Deus dignatus est sibi met prælatorum imputare & reuerentiam & contemptum, specialiter contestans eis. *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit.* Quamobrem, addit, quicquid vice Dei præcipit homo, quod non sit tamen certum displicere Deo, haud secus omnino accipiendum est, quam si præcipiat Deus. Quid enim interest, utrum per se, an per suos ministros, siue homines, siue Angelos, hominibus innotescat suum placitum Deus? Si iterum quæras, quis dicatur ex contemptu sciens & deliberans præuaricari mandatum Prælati. Respondet, qui dicit se nolle obedire. Denique, ait, in quo in obedientia crimen absque dubio sit, apud Samuelem animadvertite, quasi, inquit, peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere. Non ait, non acquiescere, sed nolle acquiescere, ut non iussionis simplex illa transgressio, sed voluntatis superba contempto scelus idololatriæ reputetur. Non est enim id ipsum, nolle obedire, & non obedire. Hoc quippe interdum erroris est, nonnunquam & infirmitatis: illud verò aut odiosa pertinacia, aut contumacia non ferendæ. Non ergo qualiscunque mandati præteritio criminalem facit inobedientiam, sed repugnare, sed nolle obedire. Secundo respondet contemptu mandati non peccari criminaliter, vel damnabiliter, nisi contemnatur & mandatum & remedium. Partienda enim est, inquit, observatio regularis in præcepta videlicet & remedia. Præceptis instituitur vita contra peccatum, remediis restituitur post peccatum innocentia. Nam illum sanè dico securum, qui etiam si interdum obedientia limitem præterit, consilium non respuit penitentiæ. Pars siquidem regula est regularis correctio, & in ea reperitur non solum bonæ vitæ instructio, sed etiam emendatio præua. Et paulo post. Et licet fortiori egeat curatiõnis medicamento, (contemptus præcepti) caret tamen morbo præuaricationis, nisi cum & ipsum forte medicamentum contemniatur.

Luc. 10. 16.

1. Reg. 15. 23.

Idem docet Caiet. in summ. v. contemptus.

V. REMED. Considera effectus deterrimos ex contemptu graui prouenientes, tum ex parte contempti, tum ex parte contemnentis. Contempti quidem, quia spoliatur honore suo & bona existimatione apud homines, deinde à consecutione multorum bonorum impeditur, ut bene notauit Cardinalis Caietanus in summula. *Testantur hoc, inquit, iræ, pugna schismata, bella, & innumera mala, quæ homo committit ex hoc quod despicitur non suffert.* Quia igitur notabilis proximo irrogatur iniuria ex hoc quod despicitur, patet quod contemptus proximi est peccatum mortale, formaliter loquendo, hoc est, ex intentione contemendi. Nullus enim formaliter contemnit proximum nisi qui spernit proximum, ut spernat proximum. Ex parte verò contemnentis, i. quia iacturam omnium bonorum operum suorum ante præstitorum facit, sicut Pharisæus, licet ob illa se laudaret. Vnde B. BERNARDVS in Cantica sic Pharisæum alloquitur. *Cum te ceteris anteponis, deles quæ feceras opera. Si quid præclarior egisti, debebas dicere. Seruus inutilis sum, quod debueram facere. feci.* Audi, Ila. 48. 11.

Caiet. v. contemptus.

Bern. in Cant. serm. 13.

Ila. 48. 11.



quid dicat Deus. gloriam meam alteri non dabo. Si ergo solus cuncta fecit, quem socium habebit? cur instaris contra publicanum, qui ideo non habet quod tu, quia non accepit quod tu? 2. quia cum contemptus omnis ferè ex superbiæ tumore, ut loquitur idem S. Bernardus, descendat, aduersarium & hostem sibi facit Deum. Nulla enim fere est pagina sanctorum librorum, inquit B. Augustinus in libris de doctrina Christiana, in qua non sonet, quod Deus superbis resistit, humilibus autem det gratiam. 3. quia à contemptu proximus gradus est, ut supra dictum est ex BERNARDO ad impoenitentiam & obstinationem, quæ sūt vitia diabolica. Humanum enim est errare, inquit Augustinus de verbis Apostoli, sed diabolicum est perseverare. Vnde colligit B. GREGORIUS in libris moralium superbiæ euidētissimum esse signum reproborum, humilitatem verò electorum. Atq; ideo 6. Remedium sit humilitas.

Aug. l. 3. c. 23.

Iac. 4. 6.

1. Pet. 5. 5.

Aug. serm. 24.

Greg. l. 23. c. 7.

Cass. l. 12. c. 31. & 32.

Matth. 16. 24.

1. Reg. 6. 27.

Act. 5. 41.

Thren. 3. 30.

Bern. serm. 16.

VI. REMEDIUM est humilitas, & submissio sui in omnibus. Huius vitij, nempe superbiæ, inquit Io. CASSIANVS in institutionibus monasticis, non aliud certius remedium est, quam timor Dei atq; humilitas, quæ de mansuetudine & cordis humilitate descendit. Quam, addit, nullatenus poterimus habere (nempe perfectam) nisi abrenunciatio vera, quæ in expoliatione omnium facultatum consistit in nobis fuerit Christi amore fundata: deinde obedientia iugum & subiecto simplici corde sine vlla simulatione fuerit suscepta, ita ut præter Abbatis mandatum nulla penitus voluntas vivat in nobis. Ad hanc humilitatem pertinet, ut primò omnem tui amorem exuas & consilium Christi sequaris dicentis. Si quis vult venire post me, abneget semetipsum. 2. ames tui contemptum contumelias, opprobria, sicut amavit Rex David saliens ante arcam Domini, dicensque ridenti Michol, Ludam & vilior sum. Sicut Apostoli, dum cæsi irent gaudentes à conspectu Concilii, quod digni habitu essent contumeliam pati: sicut amavit Christus ipse, de quo Propheta. Dabit percutiens maxillam, saturabitur opprobriis. Vnde B. BERNARDVS in Cantica. Verus, inquit, humilis, vilis vult reputari, non humilis prædicari: gaudet contemptu sui, hoc solo sanè superbus, quod laudes contemnit.

VIDE V. inobediencia. Superbia. Prasumptio.

CURIOSITAS.

Remedia aduersus Curiositatem.

I. REMEDIUM. Considera nomine Curiositatis hic intelligi immoderatam cupiditatem cognoscendi ea, quæ scire non expedit. Nam B. AVGVSTINVS in libro de Vilitate credendi tradit hoc distarc curiosum

Aug. c. 23.

riofum à studiofo. quòd quamuis vterque agatur magna cupiditate no-
fcendi, curiosus tamen cupidè ea requirat, quæ nihil ad se attinent, stu-
diosus autem contra, quæ ad se attinēt. Vt autem varia sunt, quorum co-
gnoscendorum cupiditate teneri potes, sic varii quoq; possunt esse cu-
riofitatis morbi. Præcipui sunt quinç; .1. est, cognoscendi ea quæ captum
humanæ intelligentiæ fugiunt, vt mysterium SS. Trinitatis, Incarnationis,
S. Euch. aristix, Prædestinationis, &c. 2. penetrandi abdita rerum natura-
lium. 3. est, habendi visiones, & miracula videndi vel faciendi. 4. cogno-
fcendi res mágicas, eisq; affines, vt alchymiam & magiam naturalem 5,
cognoscendi, quæ cum vocatione vel officio pugnant, vt si Episcopus,
Sacerdos, religiosus totum se tradat Poesi, Grammaticæ, &c. 6. indagãdi
vitia vel imperfectiones aliorum, Singulis morbis vnum vel alterum an-
tidotum adhibebimus.

II. REMED. pro I. Curiositate. Considera, quid diuina scriptura Eccli. 3. 22.
contra eam moneat. *Altiora te, inquit Sapiens, ne quaeris, et fortiora te ne
scrutatus fueris: sed quæ præcepit tibi Deus illa cogita semper, et in pluribus operibus* Prou. 25. 27.
eius ne fueris curiosus. Et iterum. Sicut qui mel multum comedit, non est ei bonum: Eccl. 3. 24.
*Sic qui scrutator est maiestatis opprimetur à gloria. Et rursum. In rebus superua-
cuis, noli scrutari multipliciter. non est enim tibi necessarium ea quæ sunt abscondita
videre oculis tuis.* Vnde cum Apostoli congregati curiosè percunctarentur
CHRISTVM, an tempore suo restitutus esset regnum Israhel?
Respondit, *non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua po-
testate.* 2. expende quid tibi agendum sit, si Deus ipse mysterium ali-
quod per se, vel per S. scripturã patefaciat. Nempe quod fecerunt omnes
sancti, vt firmissimè illud credas, etsi ab intelligentia humana remotum.
Nisi credideritis, inquit Dominus apud Isaiam, non intelligetis. Fides enim ait Isa. 7. iuxta 70.
B. GREGORIVS, *non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum.* Greg. hom. 26.
in Euang.
Subiicijam exempla quatuor. Primum est Patriarchæ Abrahæ, qui cum
mente nõ caperet, quemadmodum pene centenarius ex coniuge sterili
Sara parere posset, quod Deus illi promiserat futurum, tamen *contra spem*
in spem credidit, dans gloriam Deo, vt loquitur Apostolus, plenissime sciens, quia Rom. 4. 21.
quacumq; promissio potens est et facere. Vnde concludit CHRYSOSTOMVS, Chry. serm. 8. in
cap. 4. ad Rom.
non curiosum esse in rebus intelligentiam superantibus, esse glorificare
Deum, & contra curiosum esse, esse delinquere. Alterum est. B. MA-
RIÆ Virginis, quæ cū audito Angeli nuncio, quod virgo paritura esset
Saluatorẽ, non satis intelligeret, quomodo id fieri posset, atq; illic respõ-
deret, non esse impossibile apud Deũ omne verbũ, mox omni curiosita-
te abiecta cessit, & credidit, dicens. *Ecce ancilla Domini fiat mihi secundũ verbũ* Luc. 1. 38.
enũ. Qua dere & gratulata est illi postea S. Elisabeth, dicens. *Beata q̄ credidi-* verf. 45.
sti, quoniã perficiuntur ea quæ dicta sunt tibi à Domino. Eiufdẽ generis sũt exẽpla
omnium

Aug. l. 21. cap. 7.
Et ep. 3. ad Volu-

In eius vita.

27. Sep.

Chry. hom. 19.

A. g. c. 17.

Bern. serm. 36.

Perius Sat. 1.

2. Cor. 8.

omnium in Evangelii, à quibus Christus exegit, an crederent se posse hoc vel illud miraculum facere. Vnde Augustinus in libris de ciuitate Dei. *In rebus miris, inquit, summa credendi ratio est omnipotentia creatoris.* Et alibi. *Demus Deum aliquid posse, quod non fateamur inuestigare non posse.* Et ibidem. *Tota ratio facti, est potentia facientis.* TERTIVM exemplum sit S. LVDOVICI Francorum regis, qui morti proximus rogatus, num crederet filium Dei esse in sacramento Eucharistiæ quod Sacerdos attulerat, omni curiositate abiecta respondit, minus se de eo dubitare, quam si oculis videret Christum in ea forma, qua ascendit in cœlos. QVARTVM est S. ELZEARI Comitis Ariani qui vt est in vita eius apud Surium, ita firmus erat in tota fide Catholica Romana, vt affirmaret, si Franciscus Maionis Theologorum apud Lutetiam Parisiorum tum celeberrimus, & Ioannes Iuliant Confessarius, Cardinalesq; omnes cum Pontifice Maximo, aliquid in fidei dogmatibus mutarent, & totus assentiretur orbis, se tamen, quamuis mille mortes perferendæ essent, nunquam mutaturum. Qui certe ab omni curiositate, & cupiditate immoderata peruestigandi diuina mysteria abfuit.

III. R E M E D. Est contra secundam Curiositatem, quæ consistit in immoderata cupiditate cognoscendi res naturales, quam prolixè reprehendit primo IOA. CHRYSOSTOMVS in homiliis in epist. ad Ephesios, tum quia multa in rerum natura sunt facta, quorū ratio nulla reddi potest, tum quia rectius ignorantiam rerum quarundam, quam scientiam nobis adscribimus, vt si dicas te nescire, quot cyathos aquæ contineat Oceanus, quot litus arenas. Deinde AVGVSTINVS in libro de moribus Ecclesiæ *Sunt, inquit, qui desertis virtutibus, & nescientes, quid sit Deus, & quanta maiestas natura semper eodem modo manentis magnum aliquid se agere putant, si vniuersam istam corporis molem, quam mundum nuncupamus, curiosissimè, intensissime que perquirant: vnde etiam tanta superbia gignitur, vt in ipso cælo, de quo disputant, sibi habitare videantur.* Et BERNARDVS in Cantica. *Sunt, inquit, qui scire volunt eo sine tantum vt sciant, & turpis curiositas est. & sunt qui scire volunt, vt sciatur ipsi, & turpis vanitas est. Qui profecto non euadent subsannantem Satyricum & ei qui eiusmodi est decantante m. Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter. Et sunt item, qui scire volunt, vt scientiam suam vendant, verbi causa pro pecunia, pro honoribus, & turpis questus est. Sed sunt quoq; qui scire volunt, vt adificent, & caritas est.*

Remedium autem contra hanc curiositatem est, quod ibidem Doctor mellifluus assignauit, exponens verba Apostoli. *Qui se existimat aliquid scire, nō dum cognouit quemadmodum oporteat cum scire. Vides, inquit, quomodo fructum & utilitatem scientiæ in modo scientiæ constituit. Quæ igitur dicit modum sciendi? Quid, nisi vt scias quo ordine, quo studio, quo sine quaquā nosse oporteat?*

Quo

Quo ordine? *ut id prius, quod maturius ad salutem. Quo studio? ut id ardentius, quod vehementius ad amorem. Quo fine? ut non ad inanem gloriam, aut curiositatem, aut aliquid simile, sed tantum ad edificationem tuam, vel proximi.* Sic & AUGUSTINVS Aug. c. 19. lib. de vera religione. In consideratione creaturarum non est vana & peritura curiositas exercenda, sed gradus ad immortalia, & semper permanentia faciendus.

IV. REMED. contra tertiam Curiositatem, nempe habendi visiones, & miracula videndi vel faciendi, est. Optare ex parte tua, perfectam tui abnegationem, ac praesertim amoris proprii, etiam circa res spirituales, ut omnis occasio superbiae rescindatur. Vnde cum discipuli Christi gaudere se diceret, quod daemones ipsis subiicerentur, statim eos representat dicens. *Videbam Satanam sicut fulgur de caelo cadentem:* nempe ob superbiam. Luc. 10. 18. Et addidit. *In hoc nolite gaudere, quia Spiritus vobis subiiciuntur: gaudete autem, quod nomina vestra scripta sunt in caelis.* Ita ratiocinatur Augustinus tract. 2. in epist. Ioan. Similiter cum scribae & Pharisei, atque etiam Saducei dicerent. *Magister volumus a te signum videre.* respondit. *Generatio mala & adultera signum quaerit, & non dabitur ei.* Et cum iussu Pilati productus esset ad regem Herodem, cupientem videre aliquod signum ab eo fieri, nihil illi, multa licet interroganti, respondit. Quod ideo proculdubio factum est, quod ex curiositate mera illa signa ab iis peterentur. Itaque consultum est, ut simulatque oborta est tuo animo eiusmodi aliqua curiositas, ilico repudies, sicut repudiauit AUGUSTINVS libro 10. Confessionum. *A te, inquit, Domine Deus meus, cui humilem famulatum ac simplicem debeo, quantis mecum suggestionum machinationibus agit inimicus, ut signum aliquod petam, sed obsecro te per regem nostrum, & patriam Hierusalem, simplicem, castam, ut quemadmodum longe est a me ista consensio, ita sit semper longe, atque longius.* Didicerat hoc remedium Augustinus proculdubio ab ipso Christo, de quo tract. citato in epist. Ioannis ita scribit. *A Satana tentatus est Christus de miraculo, quando ei dixit. Mitte te deorsum, quia scriptum est. Angelis suis mandavit de te, ut suscipiant te, ne quando offendas ad lapidem pedem tuum. Ille restitit tentatori. Si enim faceret miraculum, non videretur, nisi aut cessasse, aut curiositate fecisse. Fecit enim, quando voluit tanquam Deus, sed tanquam infirmos curans: nam si tunc faceret, quasi tantummodo miraculum velle facere putaretur. Sed ne hoc homines sentirent, attende quid respondit: & quando tibi talis tentatio euenerit, dic illud & tu. Redi post me Satanas. scriptum est enim. Non tentabis Dominum Deum tuum: id est, si hoc fecero, tentabo Deum. Hoc dixit, quod te voluit dicere, quando tibi suggerit inimicus. Qualis homo, qualis Christianus? modo vel unum miraculum fecisti, aut orationibus tuis mortui surrexerunt? aut febricitantes sanasti? Si verò esses alicuius meriti faceres aliquod miraculum. Respondeo dic. Scriptum est. non tentabis Dominum Deum tuum. non ergo tentabo Deum. Hæc ille.*

V. REMED. contra quartam Curiositatem magicam obuium est. Considera tantum Magos, quicquid faciunt, opera facere daemonum.

Aug. l. 8. de ci-
uit. c. 22.
1. Cor. 10. 20.
2. Cor. 6. 15.
Exod. 22. 18.
Deut. 18. 10.

Aug. l. cit. c. 19.
Et l. 2. de doct.
Christ. c. 23.

2. Cor. 7. 20.
1. Cor. 10. 31.
2. Tim. 2. 4.
Hier. tom. 3. ep.
246.

Id. ep. 22.

2. Cor. 6. 15.

quos Augustinus vocat. *Spiritus nocendi cupidissimos, à iustitia penitus alienos, superbia tumidos, inuidentia leuidos, fallacia callidos.* Paulus vero dicit. *Nolo autem vos socios fieri demoniorum.* Et *Quæ conuentio Christi ad Belial?* Deinde Deus in magos decreuit poenam mortis, vt in Exodo. *Maleficos non patieris viuere.* Et in Deuteronomio. *Cauere ne inueniatur in te qui hariolos seiscitetur, aut obseruet somnia atq; auguria, nec sit maleficus, nec incantator, neq; qui pythones consulat, nec diuinos, &c.* Omnia. n. hæc abominatur Dominus, & propter istiusmodi scelera delebit eos in introitu tuo. Eadē seueritate magi puniuntur & legibus humanis teste Augustino, qui & in hanc sententiam omnes istas curiosas artes aperte damnauit. *Omnes, inquiens, artes huiusmodi vel nuzatoria, vel noxia superstitionis, ex quadam pestifera societate hominum & demonum quasi pacta infidelis & dolosa amicitia constituta penitus sunt repudianda & fugienda Christiano.* Quis ergo tam noxiam curiositatem sectari velit, nisi prorsus perditū se ire affectet?

VI. REMED. pro quinta Curiositate. Constitue apud animum tuum nulli rei operam dare, quam quæ statui, vel officio congruat, & ad maiorem Dei gloriam, proximique salutem tendat, secundum illud Apostoli. *Vnusquisq; in qua uocatione uocatus est, in ea permaneat.* Et. *Sine manducatis, siue bibitis, siue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Et. *Nemo militans Deo, implicat se negotiis secularibus.* Vnde B. HIERONYMVS in epistola ad Damadum Papam, agens de filio prodigo, grauiter inuehitur in sacerdotes, qui contra uocationem suam neglectis diuinis scripturis vacabant lectioni Poetarum. *Ac nunc etiam, inquit, sacerdos Dei ommissis Euangeliis & Prophetis uidentur comedias legere, amatorum Bucolicorum uersuum uerba canere: tenere Virgilium: & id quod in pueris necessitatis est, crimen in se facere uoluptatis.* Et paulo ante. *Demonum cib. est carmina poetarum, secularis sapientia, Rhetoricorum pompa uerborum.* Hæc sua omnes suauitate delectant, & dum aures uersibus dulci modulatione currentibus capiunt, animam quoq; penetrant, & pectoris interna deuincunt. Studiosi eorum in fame veri & uirtutum penuria perseverant. Verum & Virgines alibi, vt in Epistola ad Eustochium, de custodia Virginitatis arcet à Poetarum & Rhetorum lectione, his uerbis. *Nec tibi diseria multum uelis uideri, aut lyricæ festiuæ carminis metro ludere, &c.* adeo illis adulterium etiam lingua placet. *Quæ enim communicatio luci ad tenebras? Quis consensus Christo cum Belial? Quid facit cum Psalterio Horatius? cum Euangeliis Maro? cum Apostolis Cicero? nonne scandalizatur frater, si te uiderit in idolo recumbentē? Et licet omnia manda mundis, & nihil reijciendum, quod cum gratiarum actione percipitur, tamen simul bibere non debemus calicem Christi, & calicem demoniorum.* Denique expertus est ipse, quam noxia fibi Ciceronis & Poetarum lectio fuerit in ipsa adhuc adolescentia, cum iam mundo renunciaffet: Sic enim in eadem epistola deinceps scribit. *Referam tibi meæ infelicitatis historiam. Cum ante annos plurimos, domo, parentibus, sorore, cognatis propter caelorum me regna castrarem, & Hierosolymam militaturus pergerem, bibliotheca, quam mihi Roma summo studio ac labore confeceram, carere non poteram.*

teram Ita q̄ miser ego lecturus Tullium ieiunabam. Post noctium crebras vigilias, post lachrymas, quas mihi præteritorum recordatio peccatorum ex imis visceribus eruebat, Plautus sumebatur in manus. Si quando in memet reuersus Prophetas legere cepissem, sermo horrebat incultus. Subiicit deinde se febri estuantem, raptum in Spiritu ad tribunal iudicis, & cum rogatus de cōditiōe, Christianum se esse respondisset, præsidem dixisse. *Mentiris. Ciceronianus es, non Christianus. Vbi. n. ibi. saurus tuus, ibi & cor tuum. ac mox iussisse vt flagellaretur, donec diceret. Domine si vnquā habuero codices seculares, si legero, te negauit. Nec verò, (subiūgit) sopor ille fuerat, aut vana somnia, quib. saepe deludimur. Testis est tribunal illud, ante quod iactui: testis iudicium triste, quod timui: ita mihi nunquam contingat in talem incidere questionem, siuentes habuisse scapulas, plagas sensisse post somnum, & tanto dehinc studio diuina legisse, quanto non ante mortalia legeram. Hucusq; ille.*

VII. R E M E D. aduersus sextam curiositatem cognoscendorum alienorum vitiorum, est cognitio sui ipsius & propriorū defectuum. Quod tradit S. BERN. in tractatu de gradibus humilitatis. *Audi, inquit, curiose Salomon em, audi stulte sapientem. Omni custodia, inquit, custodit cor tuū, vt omnes videlicet sensus tui vigilent ad id, vnde vita procedit custodiendum. Quo. n. à te curiose recedis? cui te interim committis? vt quid audes oculos leuare ad cælum, qui peccasti in cælum? Terram intueor, vt cognoscas teipsum. Ipsa te tibi representabit, quia terra es & in terram ibis. Sin alias, non Prophetæ, non Domini, sed Dina, aut Eua in dō ipsius Satanae imitatore te dixerim. Et paulo ante. Dum enim anima à sui circumspeditione torpescit incuria sui, curiosam in alios facit. Et B. GREGORIVS. Graue, inquit, curiositatis est vitium, q̄ diu cuiuslibet mentem ad inuestigandā vitā proximi exterius ducat, semper ei sua intima abscondit, vt aliena scdens se nesciat, & curiosi animus, quāto peritus fuerit alieni meriti, tāto fiat ignarus sui. Idem remedium tradit S. BASILIVS, eoq; refert illud dictum Moysi, Attende tibi ipsi. & aliud Christi. Quid autem vides festiuam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides? Hypocrita, eice primum trabem de oculo tuo. Deinde exemplum Pharisei, qui apud Lucam fugillauit vitia Publicani. In idem dictum Moysi tractatū integrum edidit B. EPHRAEM. & orationem, B. ISIDORUS Abbas. Certe CLEMENS Alexandrinus putat ex eodē à sapientib. gentilium mutatum illud γινώσθι σεαυτὸν Nosce teipsum. Et in lib. 3. pædagogi cap. 1. ait maximam scientiam esse, cognitionē sui. Quod & docuit AVGVSTIN. in initio libri de Trinitate quarti. *Laxabilior, inquit, est animus, cui nota est vel infirmitas sua, q̄ quæ nō respicitur. Ita verū correptū cælestiū q̄ tenet scientiam, vras siderum et cogniturus, aut quæ tam cognititas tenet, ignorans ipse, quā via ingrediatur ad salutem, ac firmitatem suam. Vn-**

Prouerb. 4. 23.

Gen. 3. & 34.

G. hom. 36. in Euang.

Bas. hom. 2. in dictum Moysi. Matth 7. 3.

Luc 18. 11.

Ephr. tom. 2. Isa. orat. 27. Clem. lib. 2. Strom.

Aug. c. 1.

Aug. c. 2.

DEUM. DEVS SEMPER IDEM, NOVERIM ME, NOVERIM IE.

VIDE V. Amor sui, Colloquia otiosa, Gloria vana, Illustiones spirituales, Immortificatio pastanum. Lingua abusus, Otium, Societas praua, Tentatio.